Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift

laudatur. Nota mysteria dei ineffabilia. xv. kl.
april. scribitur. sol in ariete. et primus dies seculi. Aries est primum
signum anni. Cum hic sol intrat. tellus floribus. silue frondibus
uernant. quia hac die deus mundum creauit. que dies tunc dominica
extiterat. Hac eadem die. et eodem kl. populus dei in egypto ag
num includebant. quem xiiii. luna immolaturus erat. Hac
etiam die primo duce terram repromissionis intrabat. Hac eadem
die et eodem kl. eademque luna scilicet x. dominus uerus agnus
ierusalem intrabat. ibique quasi inclusus usque ad immolationem
sui manebat. XII. kl. april. est equinoctium. quia in
illa die que tunc feria iiii. fuerat. deus solem et lunam et stel
las fecerat. Hac eadem die eodemque kl. populus in ramesse ciui
tatem egypti conuenerat. et de immolatione agni tracta
bat. Hac etiam die hacque kl. iudei in ierusalem conuenerant. et
de nece christi ueri agni tractabant. et per illorum consilium eternus
sol pro luna ecclesia et stellis .i. sanctis occubuerat. XI. kl. april.
deus pisces et uolucres de mari produxit. que tunc feria v. fuit.
Hac eadem die eademque kl. uidelicet xiiii. luna populus agnum
in egypto immolauit. per quem de egypto quasi de fluctibus
maris transiuit. Hac ipsa die ipsa kl. ipsaque luna dominus cor
pus suum tradidit. per quod fideles de gurgite mortis eduxit.
X. kl. april. deus hominem condidit. que tunc feria vi. extitit.
Hac eadem die eademque kl. populus dei primum pascha habuit. ipsaque
die de egypto exiuit. Hac ipsa die ipsaque kl. ipsaque xv. lu
na. ut theophilus scribit. christus sua passione hominem
de morte redemit. ipsaque dies pascha iudeorum fuit. Sab
bato deus ab operibus mundi requieuit. hac eadem die